

Cameracum Belgarum oppidum : quo in oppido Margarita Maximiliani filia , quam Carolus Gallorum rex repudiaverat , cœlebs eas nationes regebat , eique rei omne studium adhibuerat . tametsi non parvam etiam operam in eo navaverat Georgius Ambosius , Cardinalis Rotomagensis Aloisii legatus : qui , quod Romæ comitiis pontificilibus Alexandri sexti morte præteritus , eam repulsam reipublicæ acceptam referebat , eximio erat in illam odio : & Nicolaus Frisius , homo Germanus , Italis imbutus moribus , Maximiliano perfamiliaris , qui ad utrosque non semel ventitaverat cum mandatis , fœderique demum feriendo affuit Maximiliani nomine . Fœderis lex præter cætera fuit : Ut omnes uno tempore reipublicæ bellum inferrent : quo si Veneti bello vieti essent , quæ ab iis ultra Veronæ urbis fines ditione tenebantur , Gallorum regi cederent : Verona , quæque ab ea usque ad mare Adriaticum pertingunt , Maximiliano : Flaminiae oppida , quæ reipublicæ tunc essent , Julius : Apuliae , Ferdinandus obtineret . Tanta vero fuit Gallorum regis cura , ne quid eorum , quæ in concilio statuissent , enunciaretur , ut diu nihil certi resciri potuerit , Aloisiusque ipse Antonio reipublicæ legato ab eo societatis jure quærenti , ecquodnam Cameraci fœdus percussisset , affirmans dixerit , *se amicum reipublicæ esse , neque quidquam fieri contra illius dignitatem permisisse* : Antoniusque Senatui scripserit , *nihil omnino actum , quod reipublicæ nocere posset , fidem sibi regem suam non semel interposuisse* . Erat Mediolani reipublicæ nomine Joannes Jacobus Caroldius Senatus scriba , cui fidem regii ministri sape fecerant , dum in concilium ab legatis iretur , deque ea re sermo frequens esset , regem omnino nunquam ab republica dissensurum , omnibusque rebus charius reipublicæ amicitiam semper habiturum : scire enim eam conjunctionem magno sibi & usui & ornamento esse . Is , quod Giufredum Carolum de quo supra commemoravimus , confecto statim fœdere inter suos gloriantem dixisse intellexerat , *Se se brevi sui civis mortem cumulate vindicaturum , deque iis , qui eum interfecissent , paenas sum-*